

DE NULLITATE SENTENTIAE IUDICIALIS PROPTER ABSOLUTAM IUDICIS INCOMPETENTIAM¹

SUMMARIUM: 1. Limites incompetentiae absolutae. - 2. Incompetentia absoluta ratione functionis. - 3.4. Concursus appellationum ad Rotam Romanam et ad Tribunal inferius excedit limites incompetentiae relativae. - 5. Modus proponendi querelam nullitatis contra sententiam insanabiliter nullam. - 6. Appellatio ad Rotam Romanam interposita exclusive coram eadem prosecui debet. - 7-8. Erronea aestimatio Iudicis inferioris propriae competentiae confirmare eam non valet. - 9-10. Exceptiones coram Tribunali inferiori propositae confirmant partis conventae voluntatem proseguendi appellationem coram Rota Romana. - 11. Prosecutio appellationis coram Rota Romana reddit superfluum causae avocationem actu formali. - 12-13. Confirmatur Rotae Romanae competentia ad querelam nullitatis admittendam et ad nullitatem sententiae declarandam.

1. Ad normam can. 418, n. 1 M.P. *Sollicitudinem Nostram* diei 6 ianuarii a. 1950, «de Iudiciis pro

¹ Motiva in iure et in facto sententiae rotalis interlocutoriae, die 27 februarii a. 1992 prolatae, in causa Beryten. Maronitarum, coram ANTONIO STANKIEWICZ, Ponente.

Agitur de causa definita a Tribunali appellationis Ecclesiae Orientalis, et quidem vigentibus adhuc legibus processualibus pro Orientali Ecclesia promulgatis a Pio XII M.P., *Sollicitudinem Nostram* de Iudiciis pro Ecclesia Orientali, d. 6 ianuarii a. 1950 (AAS 42 [1950], 5-120). Sed in decursu motivationis sententiae indicantur quoque relativae normae Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium (CCEO) et Codicis Iuris Canonici Latini (CIC).

Ad melius intelligendam argumentationem partis motivae sententiae rotalis iuvat brevem facti speciem huius causae referre:

Ecclesia Orientali», sententia vitio insanabilis nullitatis laborat, quando lata est a Iudice absolute incompetenti (cfr. can. 1303 § 1, n. 1 CCEO)².

Incompetentia enim absoluta efficit, ut Iudici potestas iudicandi in certa materia vel in determinata causa, attentis iuris dispositionibus, omnino deficiat. Causae enim huiuscemodi ex legis praescripto eidem penitus subtrahuntur et ab eius cognitione excluduntur, ita ut numquam ab eo valide cognosci ac definiri possint. Inde actus iudiciales a Iudice absolute incompetenti positi, sunt et manent absolute nulli nec umquam sanantur.

pars conventa adversus sententiam Tribunalis secundi gradus, die 11 maii a. 1987 latam, cuius notificationem die 18 maii a. 1987 recepit, appellationem interposuit ad Rotam Romanam, die 22 maii a. 1987, eamque prosecuta est, die 17 iunii a. 1987.

Sed actor appellavit ad Tribunal locale tertiae instantiae, die 15 maii a. 1987, quamque eodem die prosecutus est.

Tribunal loci statim ad ulteriora processit. Nam eodem die citavit partes et, die 25 maii a. 1987, dubium concordavit atque propriam declaravit competentiam.

Pars conventa, die 27 maii a. 1987, recursum interposuit ad Rotam Romanam contra declaratam competentiam. Dein, die 1 iunii a. 1987, exceptionem suspicionis contra Vicarium iudicalem proposuit, qua reiecta, item recurrit ad Rotam, die 19 iunii a. 1987.

Demum adversus sententiam Tribunalis tertii gradus, die 28 iulii a. 1987 pronuntiatam, querelam nullitatis proposuit ad Rotam Romanam.

Primus Turnus rotalis, post suppletivam causae instructionem, die 20 novembris a. 1990 declaravit memoratam sententiam vitio insanabili nullitatis laborare.

Quam tamen sententiam interlocutoriam Patronus ex officio actoris ad Turnum sequentem appellavit.

² Cfr. can. 1620, n. 1 CIC: De incompetencia absoluta - cfr. J. OCHOA, *I titoli di competenza*, in AA.Vv., *Il processo matrimoniale canonico*, Città del Vaticano 1988, 75-80.

Quin etiam Iudex quovis momento iudicii incompetentiam absolutam declarare debet (can. 126; cfr. can. 1120 CCEO)³. Nec partes unquam acquiescere possunt, quin eam in quovis statu et gradu iudicii excipiant (can. 143 § 2; cfr. can. 1118 § 1 CCEO)⁴.

Limites autem incompetentiae absolutae statuuntur: a) ratione dignitatis personarum et obiecti (cann. 21; 14-20 §§ 1-2; cfr. cann. 1072; 1060-1062 § 3; 1063 § 4 CCEO)⁵; b) ratione gradus iudicii (cann. 32 § 1; 143 §§ 2-3; 130 § 1, etc.; cfr. cann. 1072; 1059 § 1; 1118 CCEO)⁶, salvo tamen iure Sedis Apostolicae (can. 32 §§ 1-2; cfr. can. 1059 §§ 1-2 CCEO)⁷; c) ratione functionis quoad sententiae impugnationes (cann. 402 § 1; 419; 421; 422; 82 § 1, n. 3; 426 § 1; 433 § 1; 82 § 1, nn. 4-5; cfr. cann. 1299 § 1; 1303 § 2; 1305; 1331 § 1; 1327 §§ 1-2 CCEO)⁸, hoc est propter naturam specialis activitatis circa eandem causam a pluribus Tribunalibus per gradus iurisdictionis distinctis exercendae⁹.

³ Cfr. can. 1461 CIC.

⁴ Cfr. can. 1459 § 1 CIC. Exceptio incompetentiae absolutae declinatoria proponitur coram eodem Iudice ut sese absteineat a prosecutione iudicii; inhibitoria autem proponitur coram Iudice superiori competenti, ut Iudici absolute incompetenti imponat inhibitionem prosecutionis iudicii et transmissionem actorum ad Iudicem competentem - L. DEL AMO, comm. ad can. 1461, in AA.Vv., *Codice di Diritto Canonico, Edizione bilingue commentata*, vol. III, Roma 1987, 1063.

⁵ Cfr. can. 1406 CIC.

⁶ Cfr. can. 1440 CIC.

⁷ Cfr. can. 1417 §§ 1-2.

⁸ Cfr. cann. 1616 § 1; 1621; 1624; 1646 §§ 1-2 CIC.

Itemque «inobservantia legum de praeventione et connexione parit nullitatem actorum, ob incompetentiam absolutam et attentatum» - c. SABATTANI, sent. 25 maii 1962, n. 55; SRRD LIV, p. 288. Cfr. J.J., GARCIA FAILDE, *Nuevo derecho procesal canónico*, Salamanca 1984, 204.

⁹ F. ROBERTI, *De processibus*, vol. I, In Civitate Vaticana

2. Cum competentiae functionalis limites absoluti habeantur, iidem valide prorogari nequeunt¹⁰. Idque obvenit tum «propter bonum publicum cuius intuitu et hierarchia Tribunalium et series instantiarum iudicialium et divisio activitatis circa eandem causam exercendae statutae sunt (can. 200)», tum «propter attentatum quod in pluribus casibus habetur» (can. 378; cfr. can. 1278 CCEO)¹¹, tum demum propter «absolutum defectum iurisdictionis»¹².

Ita fit, ut puta, si Iudex inferior sibi arroget causam penes suum Tribunal iudicandam, haud obstante alterius partis appellatione ad Tribunal Apostolicae Sedis intra fatalia appellatoria interposita, sicut ad rem praescripto can. 408 cavetur: «Si alia pars ad Tribunal Apostolicae Sedis appellaverit, alia ad aliud competens, appellatio proseguenda est coram Tribunali Apostolicae Sedis».

Haec norma iuris orientalis, prout doctrina cano-

1956⁴, 165; A. HANSEN, *De nullitate processus canonici*, Romae 1938, 48; F. GALTIER, *Code Oriental de Procédure Ecclésiastique*, Beyrouth 1951, 401; 37-38; W.T. CURTIN, *The Complaint of Nullity against the Sentence*, Washington 1956, 49.

Quidam putant competentiam functionalem seu ex functione potius vocandam esse «per grado di giudizio» (J. OCHOA, *I titoli di competenza*, 78), sed eandem complecti «praesertim gradus iurisdictionis, remedia iuris contra sententiam, sententiae executionem, nec non alios casus» (F. ROBERTI, *De processibus*, 170).

¹⁰ F. ROBERTI, *De processibus*, 172.

¹¹ Sed in CIC non amplius exstant normae «de attentatis lite pendente», quia tempore recognitionis Codicis Latini videbantur «inutiles»; immo, attentatum putabatur esse tantum quaestionem incidentem (Communicationes 11 [1979], 133).

Attamen dum attentata habentur «ipso iure nulla» (can. 1855 § I CIC 1917; can. 1279 CCEO), mera quaestio incidens procul dubio nullitate non laborat!

¹² F. ROBERTI, *De processibus*, 172-173.

nica docet, appellationi ad Tribunal Apostolicae Sedis applicat «principium canonis 32, § 2»¹³, ex quo «appellatio ad Sedem Apostolicam suspendit exercitium iurisdictionis in Iudice inferiori»¹⁴.

Insuper praefata norma respondet praescripto «art. 216 § 2 Instructionis Congregationis Sacramentorum a. 1936»¹⁵ iuxta quod «Si appellantium alteruter ad praefata Tribunalia Sanctae Sedis provocet, coram Tribunalibus istis appellatio exclusive prosequenda est».

Quare ob appellationem ad Tribunal Apostolicae Sedis intra fatalia appellatoria interpositam, Iudex inferior supersedere debet causae tractationi.

Aliter tantum dicendum est, si pars post rite institutam ad Tribunal inferius appellationem petat, ut de ea videat Tribunal Sedis Apostolicae. Tunc Iudex inferior ad ulteriora procedere potest, si iam ad citationum intimationem legitime devenerit¹⁶.

3. Nec obstat quod nomine Sedis Apostolicae in can. 32 §§ 1-2, vel Sanctae Sedis in analogo praescripto can. 1569 § 1 Codicis Pio-Benedictini (cfr. can. 1417 § 1 C.I.C. a. 1983), iuxta communem doctrinam

¹³ Can. 32 § 2: «Provocatio tamen ad Sedem Apostolicam interposita non suspendit, excluso casu appellationis, exercitium iurisdictionis in iudice qui causam iam cognoscere coepit; quique idcirco poterit iudicium prosequi usque ad definitivam sententiam, nisi constiterit Sedem Apostolicam causam ad se advocasse».

¹⁴ F. GALTIER, *Code Oriental*, 391: «Ce canon propre au Code oriental, applique le principe du C. 32 § 2; l'appel au S. Siège suspend l'exercice de la juridiction chez le juge inférieur».

¹⁵ L.c.: «Ce texte répond au § 2 de l'art. 216 de l'Instruction de la Congrégation des Sacrements en 1936».

¹⁶ Art. 216 § 3 Instr. Provida Mater; F. GALTIER, *Code Oriental*, 391-392.

canonicam non veniunt Tribunalia Sedis Apostolicae, sed tantum Romanus Pontifex¹⁷, sicut nunc Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium expresse confirmat, cum agit sive de causis «ad ipsum Romanum Pontificem» delatis (can. 1059 § 1), sive de provocatione vel appellatione «ad Romanum Pontificem» interpositis (can. 1059 § 2).

Appellatio enim interposita ad Tribunal Apostolicae Sedis (can. 408), hoc est ad Romanam Rotam (cfr. art. 3 «De ordinariis Apostolicae Sedis Tribunalibus», cann. 77-84), sicut omnis appellatio est in suspensivo (can. 415 § 2), ideoque non solum suspendit executionem sententiae (can. 415 § 1; cfr. can. 1319 CCEO), sed potissimum iurisdictionem Iudicis inferioris quantum ad illam causam, quae igitur ad Tribunal Apostolicae Sedis exclusive defertur cum absoluta Iudicis inferioris exclusionem.

Namque «appellatio dirigitur ad Tribunalia ordinaria S. Sedis; recursus iste dirigitur ipsi personae R. Pontificis. Appellatio ubi primum est proposita, statim suum sortitur effectum, scilicet suspendit iurisdictionem Iudicis inferioris; recursus tunc solum sortitur

¹⁷ Cfr. ex. gr. J. NOVAL, *De processibus*, I, Augustae Taurinorum-Romae 1920, p. 53; F. DELLA ROCCA, *Istituzioni di diritto processuale canonico*, Torino 1946, 124; M. LEGA-V. BARTOCCHETTI, *Commentarius in iudicia ecclesiastica*, I, Romae 1950, 97; F.M. CAPPELLO, *Summa iuris canonici*, III, Romae 1955⁴, 70; J. TORRE, *Processus matrimonialis*, Napoli 1956³, 414; M. CONTE A CORONATA, *Institutiones iuris canonici*, III, Taurini-Romae 1961⁵, 32; M. CABRERAS DE ANTA, in *Comentarios al Código de Derecho Canónico*, III, Madrid 1964, 259; Z. GROCHOLEWSKI, *Diritto dei fedeli di deferire e di introdurre le cause presso la Santa Sede*, in *Les Droits Fondamentaux du Chrétien dans l'Eglise et dans la Société*, Fribourg-Milano 1981, 560.

effectum atque iurisdictionem suspendit, cum Papa illum acceptaverit et constet de avocatione»¹⁸.

4. Quae cum ita sint, admitti nequit opinio eorum, qui concursum appellationum ad Tribunal inferius et ad Tribunal Apostolicae Sedis, seu Romanae Rotae, intra limites competentiae relativae tantum definiendum esse putant, adeo ut, si Iudex inferior causam tractandam sibi arrogaverit sententiamque pronuntiaverit, pro nihil habendo appellationem ab alterutra parte ad Sedem Apostolicam (cfr. can. 7 C.I.C. a. 1917; can. 361 C.I.C. a. 1983; can. 48 CCEO) interpositam, illegitime quidem, sed valide ageret. Iudex enim relative tantum incompetens, ut notum est, qui causam absque titulo competentiae cognoscere ac definire conatur, quia v. gr. eius incompetentiam nemo excepit, vel quia ipse suam competentiam, etiamsi erronee, confirmavit (can. 125 § 2), nec declaratam a se competentiam ulterior impugnatio per querelam nullitatis, restitutionem in integrum vel oppositionem tertii subsecuta est (cfr. can. 1119 § 2 CCEO), sententiam validam profert, hoc est ex prorogatione competentiae relativae ex tacito partium consensu (cfr. ex. gr. can. 1080 CCEO) et legis admissione¹⁹.

Aliter tamen dicendum est, si de incompetencia functionalis agatur, scilicet quod spectat ad gradum appellationis apud Tribunal Sedis Apostolicae ab alterutra parte expostulatum (can. 408). Tunc enim Iudex

¹⁸ F.M. CAPPELLO, *Summa iuris canonici*, III, 71.

¹⁹ Cfr. S. INDELICATO, *De foro competenti in causis matrimonialibus*, Romae 1938, 13-14; J. LLOBELL, *Centralizzazione normativa processuale e modifica dei titoli di competenza nelle cause di nullità matrimoniale*, in *Ius Ecclesiae* 3 (1991), 471-476.

inferior ob iurisdictionis suspensionem invalide agit, etiamsi ad processum conficiendum sententiamque pronuntiandam devenire ausus fuerit, quia prorogatio competentiae tali in casu non operatur. Immo lex iubet appellationem proseguere (can. 408), et consequenter causam agere exclusive coram tribunali Apostolicae Sedis.

5. Querela nullitatis contra sententiam, quae vitio insanabilis nullitatis laboret, in via principali per modum actionis proponi potest coram Iudice, qui sententiam tulit, intra decem annos a die publicationis sententiae; per modum exceptionis autem in perpetuum (can. 419; cfr. can. 1303 § 2 CCEO)²⁰.

Item querela nullitatis proponi potest in linea praeiudicialis subordinationis una cum appellatione coram Iudice appellationis intra terminum ad appellandum statutum, hoc est «intra decem dies» iuxta normam veterem (can. 422)²¹, vel «intra perempto-

²⁰ Item can. 1621 CIC. Codex Pio-Benedictinus habuit terminum triginta annorum ad proponendam querelam nullitatis per modum actionis contra sententiam insanabiliter nullam (can. 1893).

²¹ Can. 1895 Codicis Latini a. 1917 statuebat expressis verbis de proponenda querela nullitatis una cum appellatione, intra decem annos, nonnisi quando agebatur de sententia quae laborabat vitio sanabilis nullitatis.

Sed quidam probati Auctores extensive interpretabantur praescriptum can. 1895 et admittebant cumulationem appellationis una cum querela nullitatis «quasi in linea subordinata» etiam contra sententiam insanabiliter nullam. Ita ex. gr. M. LEGA-V. BARTOCETTI, *Commentarius in iudicia ecclesiastica*, II, 1025.

Huic opinioni accessit constans praxis Rotae Romanae, quae tempore obligationis Codicis Pio-Benedictini semper admittebat cumulationem querelae nullitatis insanabilis una cum appellatione. Cfr. I.M. PINNA, *Praxis iudicialis canonica*, Romae 1966², 161.

rium terminum quindecim dierum utilium ab intimatione sententiae computandum», sicut nova norma ea de re cavet (can. 1311 § 1 coll. cum can. 1306)²².

Insuper, si de altera sententia conformi in causis de statu personarum agitur, iurisprudentia N.A.T. admittit cumulationem querelae nullitatis una cum nova causae propositione (cann. 430 et 497 § 1; cfr. can. 1325 § 1 CCEO)²³, in linea itidem praeiudicialis subordinationis, videlicet «propter connexionem inter haec duo media ratione eiusdem causae»²⁴.

Demum probata doctrina et communis iurisprudentia concedunt querelam nullitatis etiam incidenter proponi posse in decursu iudicii appellationis, dummodo intra terminos statutos pro actione vel exceptione²⁵.

6. Nemo sane infitiatu quin pars conventa intra tempus iure statutum appellationem interposuerit ad Tribunal Apostolicae Sedis, seu ad Rotam Romanam, adversus sententiam secundi gradus Tribunalis Bery-

²² Item cann. 1625 et 1630 § 1 CIC.

²³ Cfr. cann. 1902 et 1989 CIC a. 1917; cann. 1643 et 1644 § 1 CIC.

²⁴ Ita c. LEFEBVRE, sent. 16 novembris 1965, n. 14; SRRD LVII, 837. Item c. GIANNECCHINI, sent. 21 maii 1982, n. 1; RRD LXXIV, 272; c. STANKIEWICZ, sent. 31 ianuarii 1989, n. 3 in causa Tripolitana Maronitarum.

²⁵ M. LEGA-V. BARTOCETTI, *Commentarius in iudicia ecclesiastica*, II, 1024-1025; «Querela nullitatis insanabilis ... 3) Proponitur *incidenter* seu in decursu appellationis, cum dubitatio vel notitia tunc subsit de nullitate sententiae».

Item I.M. PINNA, *Praxis iudicialis canonica*, 161; c. STANKIEWICZ, decr. 26 octobris 1990, n. 7, in causa Toletana in America; c. PALESTRO, decr. 3 iulii 1991, n. 4, in *Monitor Ecclesiasticus* 116 (1991), 587.

tensis Maronitarum, die 11 maii a. 1987 editam, eamque inter fatalia appellatoria prosecuta sit.

Sicut enim legimus in declaratione Vicarii Iudicialis Tribunalis Berytensis Maronitarum Appellationis tertii gradus, die 18 maii a. 1987 scripto redacta, procurator viri actoris notificationem eiusdem sententiae recepit die 15 maii 1987; eodem die ipse interposuit appellationem eamque prosecutus est. Atque exemplaria tum appellationis ab actore interpositae, eiusque prosecutionis, tum appellatae quoque sententiae transmissa sunt ad procuratorem partis conventae, statuto termino decem dierum pro responsione²⁶.

Itemque in sessione pro litis contestatione, quam Vicarius Iudicialis festinanter ac rapide indixit in diem 25 maii a. 1987, pendentibus adhuc fatalibus appellationis, pariter notatur appellationis interpositio a parte conventa ad Rotam Romanam tamquam motivum non apparentiae iudiciariae eius procuratoris: «percurrando documenta huius causae in ordine ad determinandum eius obiectum, constat procuratorem partis conventae exhibuisse cancellariae Tribunalis, die 22 mai 1987, expostulatam appellationem ad Tribunal Rotae Romanae, in qua declarat Tribunal Appellationis Maronitarum carere omni competentia videndi ac iudicandi hanc causam. Videtur quod hac de ratione procurator conventae in iudicio non comparuit»²⁷.

²⁶ Acta, 286: «Le procureur de l'époux reçut notification de cette sentence, le 15.5.1987; il en fit appel et poursuivit son appel ce même jour. Une copie de l'appel, de sa poursuite et de la sentence du premier appel fut envoyée au procureur de l'épouse, auquel un délai de dix jours fut donnée pour la réponse. K., le 18.5.1987».

²⁷ Acta, 288: «En parcourant le dossier de l'affaire en vue d'en déterminer l'objet, on constata que le procureur de l'épouse

Certum est igitur partem conventam, die 22 maii a. 1987, hoc est intra fatalia legis, appellationem ad Tribunal Rotae Romanae interposuisse. Quare coram eodem Tribunali Apostolico, ad normam can. 408, appellatio exclusive prosequenda erat.

7. Sed Vicarius Iudicialis Berytensis in fraudem legis censuit Tribunal Appellationis Maronitarum esse competens prosequendi hanc causam, ratus nempe idem forum re ipsa «iam manum apposuisse admittendo prosecutionem appellationis, a procuratore actoris interpositae, et intimando actus iudiciales, quorum primus est notificatio citationis parti conventae eiusque procuratori ad sessionem pro dubii concordatione»²⁸.

Absque profundiori enim examine admisit, vel admittere maluit, postulationem procuratoris actoris, insistentis de competentia Tribunalis Appellationis Maronitarum quod iam ad ulteriora hac in causa processit, intimando citationem partibus ad comparandum in audientia ad definiendum litis obiectum²⁹.

avait présenté au greffe du tribunal, le 22 mai 1987, une requête d'appel au tribunal de la Rote Romaine, dans laquelle il déclare que le tribunal maronite d'appel n'a plus aucune compétence pour l'étude de cette affaire. C'est pour cela, semble-t-il, que le procureur de l'épouse n'a pas comparu».

²⁸ Acta, 288-289: «... que le tribunal maronite d'appel est compétente pour la poursuite de cette cause...; en effet il y a déjà mis la main, en admettant la poursuite d'appel fait par le procureur de l'époux et en entament les actes judiciaires dont le premier est la notification fait à l'épouse e à son procureur, les convoquant à la session pour la détermination de l'objet du litige».

²⁹ Acta, 288: «... qu'il insiste pour la compétence du tribunal maronite d'appel qui a déjà entreprise l'étude de l'affaire et pour cela avait envoyé une citation aux deux parties por une audience à déterminer l'objet du litige et avait donc entrepris tous les actes judiciaires».

Hoc sane modo Vicarius Iudicialis Berytensis erronee praescripto can. 408 applicare conatus est art. 216 § 3 Instructionis «Provida Mater», innixus quidem asserta verbis in suum favorem canonistarum auctoritate, immerito tamen arbitratus est ob citationes iam factas iure preventionis se propriam competentiam super hanc causam esse firmaturum.

8. Sed norma in paragrapho tertia memorati articuli 216 statuta diversam facti speciem contemplatur.

Agit enim de petitione, quam pars porrigere potest Tribunali inferiori, post institutam tempore utili appellationem coram eodem Tribunali, ut de sua appellatione videat Rota Romana. Quo in casu, ut patet, concursus appellationum non obvenit, hoc est ad Tribunal inferius et ad Tribunal Sedis Apostolicae, quia pars quae se gravatam putat, appellationi legitime interpositae ad Tribunal inferius addit subsequenti tantum tempore petitionem ut causa sua a Rota Romana iudicetur. Haec tamen petitio vim suam exserit, si Tribunal inferius appellationis citationes ad litis contestationem nondum intimaverit³⁰.

Nostro autem in casu concursus appellationum certo locum habuit, in quo ex claro legis praescripto auctoritas Tribunalis Apostolicae Sedis praevalere debuit contra Tribunal inferius.

Quare coram Rota Romana, absque ullo dubio, appellatio proseguenda erat (can. 408), et quidem exclusive, sicut addit art. 216 § 2 Instructionis «Provida Mater», qui plene respondet praescripto can. 408³¹.

Norma igitur casui nostro applicanda nullam con-

³⁰ F. GALTIER, *Code Oriental*, 392.

³¹ *Ibidem*, 391.

tinet difficultatem, cum, attenta iurisdictione Tribunalium Sedis Apostolicae, nullus Iudex inferior manum suam valide apponere potest in causa, in qua alterutra pars ad Tribunal Apostolicum legitime appellavit.

9. Etsi Vicarius Iudicialis Berytensis, contra praescriptum can. 408 appellationem a parte conventa interpositam ad Rotam Romanam, die 22 maii a. 1987, pro nihilo ratus, intra terminos appellatorios iure statutos non solum ad citationem partium pro litis contestatione devenit, verum etiam ipse dubium concordavit, die 25 maii a. 1987, atque causam transmittendam decrevit pro sententia ferenda, attento quod actoris procurator declaravit «se nil amplius declarandum habere»³², pars conventa tamen ab interposita appellatione minime recessit.

Immo eadem conventa appellationem rite interpositam inter fatalia legis prosecuta est, id est die 17 iunii a. 1987³³, atque per suum procuratorem firmiter obstitit prosecutioni causae nullitatis matrimonii sui apud Tribunal Berytense Maronitarum tertiae instantiae.

Ad hunc finem assequendum mulier conventa, die 27 maii a. 1987, etiam recursum interposuit ad Tribunal Rotae Romanae contra declaratam a Tribunali Berytensi Maronitarum tertii gradus propriam competentiam videndi hanc causam³⁴, quamquam decisio huiusmodi ad normam can. 125 § 2 tunc vigentis (secus ac in praesentiarum can. 1119 § 2 CCEO cavet)

³² Acta, 289.

³³ Acta, 172.

³⁴ Acta, 290.

non admittebat appellationem, si revera de competentia relativa tantum nostro in casu ageretur³⁵.

10. Item eadem conventa, die 1 iunii a. 1987, exceptionem suspicionis proposuit «contra Vicarium Iudiciale Tribunalis Appellationis Maronitarum, contra omnem Iudicem qui causam nullitatis matrimonii sui cognoscere auderet, pluribus in exemplaribus exaratam, quorum primum ad Patriarcham direxit, alterum vero ad Tribunal Rotae Romanae»³⁶.

Etsi haec exceptio ab Em.mo Patriarcha reiecta est³⁷, die 15 iunii a. 1987, eius tamen interpositio firmam voluntatem conventae ostendit, videlicet impediendi huius causae coram Tribunali Berytensi Maronitarum in tertia instantia tractationem.

Nec acquievit pars conventa coram violationibus ordinis processualis canonici in tertio iudicii gradu invalide instaurati, et per suum procuratorem, die 19 iunii a. 1987, praefato Tribunali Berytensi Maronitarum exhibuit postulationem, cuius obiectum sequens erat: «informatio et denuntiatio de appellatione transmissa ad Tribunal Rotae Romanae nec non de consequentiis huius actus, id est de incompetencia Tribunalis Appellationis Maronitarum et de causa suspicionis eiusdem Tribunalis Iudicum, atque de transmissione

³⁵ Item can. 1610 § 2 CIC a. 1917. Aliter tamen can. 1460 § 2 CIC a. 1983, qui non admittit appellationem, sed prospectat possibilitatem proponendi querelam nullitatis et restitutionem in integrum.

³⁶ Acta, 290: «... contre le vicaire judiciaire d'appel, contre le promoteur de la justice et défenseur du lien et contre tout juge qui accepterait d'étudier la cause de la nullité de mon mariage, en plusieurs copies, dont une au Seigneur Patriarche et une autre adressée au tribunal de la Rote Romaine».

³⁷ Acta, 291.

appellationis ope Nuntiaturae Apostolicae» ad Tribunal Rotae Romanae³⁸.

Miro sane modo hanc declarationem procuratoris conventae de prosecutione appellationis coram Tribunali Sedis Apostolicae aestimavit praefatum Tribunal Berytense Maronitarum, videlicet tamquam speciem defensionis ante sententiae pronuntiationem exhibitae, hoc est «quod postulatio huiusmodi constituerit responsum definitivum partis conventae quod spectat ad acta causae»³⁹.

11. Sed prosecutio appellationis coram Apostolico Tribunali Rotae Romanae roboravit tantum suspensionem iurisdictionis Tribunalis Berytensis Maronitarum in tertio iudicii gradu, iam a die interpositionis appellationis operantem.

Inde omnino superflua habenda est probatio avocationis causae huius ad Tribunal Romanae Rotae, quam appellata sententia Rotalis (n. 8) perficere conatur sive ex petitione Patroni partis conventae in Urbe, Romanae Rotae directe porrecta, die 11 iulii a. 1987, qua expetebat ut Tribunali Appellationis Maronitarum communicaret suspensionem processus et causae avocationem ad proprium forum (4), sive ex specimine telegrammatis, quod transmissum est Praesidi Tribunalis Appellationis Maronitarum, die 14 iulii a. 1987, a Cancellaria R. Rotae (11), sive demum ex

³⁸ Acta, 292: «une requête dont l'objet est le suivant: information et signification que l'appel a été envoyé au S. tribunal de la Rote Romaine, avec ce qui suivit, en fait d'incompétence du tribunal maronite et la cause de suspicion; envoi qui se fit par le canal de la nonciature apostolique».

³⁹ Acta, 292: «... que cette requête constitue la réponse définitive de l'épouse, à propos des actes de la cause».

requisita transmissione actorum ad R. Rotam, die 15 iulii a. 1987, a Cancellaria H.A.T. de mandato Exc. mi Decani peracta (10).

Avocatio enim causae operatur extra casum appellationis, et suspendit iurisdictionem in Iudice qui causam iam legitime cognoscere coepit, provocatione tantum ad Sedem Apostolicam interposita, quae per se iurisdictionem non suspendit (can. 32 § 2; cfr. can. 1059 § 2 CCEO)⁴⁰.

Nostro autem in casu vi can. 408 iurisdictio Tribunalis Berytensis Maronitarum tertii gradus quoad hanc causam agendam suspensa est momento appellationis partis conventae ad Tribunal Sedis Apostolicae interpositae, quod igitur invalide ad ulteriora processit atque insanabiliter nullam protulit sententiam, die 28 iulii a. 1987, cum iurisdictione ad id perficiendum caruerit.

Defuit enim Iudicibus illis competentia seu iurisdictio ad decidendam hanc causam, quae eorum iurisdictioni absolute subtracta est per appellationem conventae ad Tribunal Sedis Apostolicae delatam⁴¹.

Sententia autem vitio insanabilis nullitatis laborat, quando a Iudice absolute incompetenti pronuntiata est (can. 418, n. 1; cfr. can. 1303 § 1, n. 1 CCEO)⁴².

12. Nec obiciatur Apostolicum Romanae Rotae Tribunal hac in causa esse incompetens ad declarandam nullitatem sententiae a Tribunali Berytensi Maronitarum, die 28 iulii 1987, in tertio iudicii gradu-

⁴⁰ Cfr. can. 1417 § 2 CIC.

⁴¹ Cfr. F.X. WERNZ-P. VIDAL-F. CAPPELLO, *Ius canonicum*, VI, *De processibus*, Romae 1949², 54.

⁴² Cfr. can. 1620, n. 1 CIC.

latam⁴³, cum querela nullitatis proposita non fuerit una cum appellatione (can. 422). Immo, sicut Cl. mus actoris Patronus ex officio contendit, contra illam sententiam nulla appellatio, praeter petitionem novi examinis, proponi potuit, attento quod agebatur de altera sententia conformi pro nullitate matrimonii prolata, ideoque de sententia quae facta est iam executiva⁴⁴.

Attamen, praetermissa quaestione de appellatione Defensoris Vinculi «pro sua conscientia» (can. 495)⁴⁵, videlicet extra casum processus brevioris etiam apud Ecclesias Orientales applicati⁴⁶, qui heic locum habere non potuit, merito ac iure appellata sententia Rotalis⁴⁷ hac in re sequentem praebet explicationem:

«a) Sententia secundi gradus edita est die 11 maii a. 1987, notificata parti conventae die 18 maii a. 1987, appellata ab ipsa parte die 22 maii a. 1987 atque intra mensem ab appellationis interpositione prosecutione habita»;

«b) Sententia tertiae instantiae autem edita est die 28 iulii a. 1987, a parte conventa accusata querela nullitatis fuit die 31 iulii a. 1987 atque postea possibilitatem actionem prosequendi habuit».

Hanc ob rationem defuit in casu possibilitas et «actionem cumulandi» et, contra terminos a lege statutos, «aliam capienti solutionem» (n. 8).

13. Itemque sustineri nequit altera obiectio iuxta quam unicum Tribunal competens ad diiudicandam

⁴³ Ita Restrictus Iuris et Facti pro actore, 5-6.

⁴⁴ Restrictus responsionis, 1.

⁴⁵ Appellatio pro conscientia non amplius exstat in utroque novo Codice.

⁴⁶ AAS 65 (1975), 577-581.

⁴⁷ Agitur de sententia interlocutoria, hac in causa prolata, die 20 novembris a. 1990, coram HYGINO RAGNI.

querelam nullitatis sententiae tertii gradus erat Tribunal Berytense Maronitarum Appellationis tertiae instantiae⁴⁸.

Huic enim Tribunali, momento appellationis interpositae a parte conventa ad Tribunal Apostolicum Romanae Rotae, subtracta est omnis iurisdictio quoad hanc causam iudicandam sive de merito sive de quaestionibus processualibus, haud exclusa igitur propriae sententiae nullitate.

Certum est igitur decisionem istius Tribunalis vitio insanabilis nullitatis pariter affectam fore, si de nullitate propriae sententiae pronuntiavisset.

Eapropter nostro in casu querela nullitatis nonnisi coram Tribunali Romanae Rotae proponenda erat, vel cum petitione novi examinis (can. 430; cfr. can. 132 § 1 CCEO), vel incidenter tantum in decursu iudicii appellationis, videlicet attenta appellationis legitima propositione eiusque prosecutione, qua causa ipsa devoluta est ad Tribunal Sedis Apostolicae in tertio iudicii gradu. Nec aliter evenire potuit, sicut ad rem notat appellata sententia Rotalis, stantibus nempe terminis iure statutis.

Declarata autem nulla ac irrita sententia Tribunalis Berytensis Maronitarum Appellationis tertii gradus, causa haec coram N.T.A. iuxta appellationem rite delatam in tertio iudicii gradu suum habebit cursum⁴⁹.

ANTONIUS STANKIEWICZ

⁴⁸ Restrictus Iuris et Facti, 5.

⁴⁹ Pars dispositiva sententiae interlocutoriae haec est: «Affirmative ad I-um; Negative ad II-um; seu sententiam interlocutoriam Rotalem diei 20 novembris a. 1990 confirmandam esse, in casu; ideoque constare de nullitate insanabili sententiae Tribunalis Berytensis Maronitarum Appellationis tertii gradus diei 28 iulii a. 1987».